Alk. 532,4

EXERCITATIO PHILOLOGICA De LINGVÆ TEUTONICÆ ÆTATIBUS,

II d 318

XA26024o

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Quam

DIVINIS AUSPICIIS,

In Almâ Leucoreâ,

Ad diem 28. Decembr. A.O.R. M.DC.LXVII,

In Auditorio minori, horis antemerid.

Publico Eruditorum examini ſubmittunt

PRÆSES

M. THEODORUS KIRCHMAJER,

Uffenhemenſis,

&

RESPONDENS

JOHANNES MICHAEL Hornung/

Gunzenhuſanus,

FRANCI.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII.

10

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-496-p0002-9

I. N. J.

Prooemium.

VAnqvam primâ qvidem fronte difficile videatur cognitu esse, qvæ inter linguas Græcam, Latinam, Germanicam, Hispanicam, Gallicam & Italicam principem locum mereatur: Res tamen æqvitatis lance expensâ, judiciò Paridis non eget. Enimverò si in unô omnes convenirent forô, de primatu, sine armis tamen certaturæ, dubium nullum esse debet, qvin Germanica à cæteris reportatura sit victoriã. Nam qvæ in singulis occurrunt admiranda, ea universa in hac deprehẽdere solâ possis. Ingeniũ n. ejus ita excelsum, ita felix est, ut nec Græcorum copiæ, nec elegantiæ Latinorum, nec Hispanorũ majestati, nec Italorũ decentiæ, nec Gallorũ venustæ volubilitati qvicqvam debeat concedere. Lingva vetusta, lingva pura, lingva gravis ac Patriâ suâ, tot ingentium Heroum nutrice dignissima Germanica est. Lingva, cujus copiam in brevitatè, & brevitatem in copia nulla ferè dicendi vis satis laudare pro dignitate valet. Ut adeò non iniqvè divinitatem in eâ, etiam in literis & vocabulis sparsam dixerit Levinus Torrentius *in præfat. ad Hermathenam. Nos cùm rei magnitudine moti, tùm vi amoris Patriæ solicitati, lingvam hanc, qvam è blandis*

*Matrum ſuſurris didicimus, hauſimus, expreſſimus, qvòad ejus fieri per ingenii tenuitatem poteſt, hâc vice contemplabimur. Qvodſi enim (loqvimur cum Cl.*Harsdörferô*) de Samaritanâ, Æthiopicâ, Syriacâ & Chaldaicà lingva adintemperiem usq; disqvirere laudem aliqvam meretur; Si elegantia Latinæ illis etiam, qvi nondum ære lavantur, ſolicitè inculcatur; Cur non operæ pretium ſit, de lingva Germanicâ, qvæ ſalutem & famam noſtram conſervat, cogitationem ſuſcipere? Deus his annuat cœptis, ut cedant feliciter!*

LINGVÆ TEUTONICÆ
ÆTAS PRIMA.

§. I.

Nihil inchoatum ac conſummatum ſimul. Sapientum qvippe ſtudio ac diuturnitati, rerum perfectio debetur. Hinc qvæ primùm cœpit eſſe lingva Teutonica, vilior hâc multò videtur, qvæ poſthinc per diverſa temporum ſpiramenta, curâ doctiorum eqvidem emerſit. Sicut autem vitam animalium ab infantiâ per Juventutem ad pleniorem ἀκμὴν delatam ſtatis vulgò ætatibus dimetiuntur: Parili modô circa lingvam noſtram has ipſas non incongruè notabimus vicisſitudines, qvibus nunc agreſti adhuc rudiqve habitu indutam, nunc augeſcentem paullò ac magis comtam, nunc gravem oppidò & ſpecioſam, nunc omnibus abſolutiſſimam numeris, pro variô ſeculorum decurſu cernere licet.

§. II. Incipiemus verò juxta Naturæ ordinem à primâ ejus ætate, cujus ſi initia ſcrutemur, regrediendum nobis venit ad turrem usqve Babylonis, à qvâ eam natales ſuos duxiſſe, certum prorſus, & omnium ferè approbatum calculô eſt. Cùm enim poſt di-

lu-

luvium filii nepotesq; Noachi in tantam hominum excreſcerent multitudinem, ut nativum ampliùs ſolum non eſſet par omnibus capiendis; Deus Patriarcham commonuiſſe à plurimis non præter rem creditur, ut univerſum orbem pro numero filiorum herciſceret, & familias in ſuam qvamqve partem ablegaret ad implendam terræ vaſtitatem. Qvod ubi gens intellexit temeraria, ſive ut conjunctionem ſui ſtabiliret, & contra mandatum Numinis diſperſionem præcaveret; ſive æternum ſibi apud poſteros memoriæ pararet monumentum, congregata ex eâ, qvam tunc trans Tigrim habitabat, terrâ, in regionem Sinaar, & conſiliô plenô inſolentiæ ac vanitatis inter ſe initô, urbem magnam, turrimqve præaltam ædificare adgreſſa eſt. Hâc ſuper impietate Deus graviſimè offenſus pro juſtitiâ effecit ſuâ, ut, dum illi ferventes operi inſiſterent, ſermo omnium, qvi unus erat hactenus, confunderetur, alterqve alterius idioma loqventis non intelligeret. Prohibiti igitur ab inſtituto per omnem terram diſſipabantur, ſecundum familiarum capita & lingvas. Qvâ occaſione factum eſt, ut Aſcenas, nepos Japheti & Germanorum conditor cum propagine ſuâ longis per Aſiam itineribus migrando, in ipſam tandem Europam penetraverit. Atqve ſic populus Germanus antiqviſimus ſub nomine Celtarum per Germaniam, Daniam, Islandiam, Sveciam, Norvagiam, Angliam, Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Lappiam & Illyricum diffuſus pedetentim, lingvæ ſuæ fundum ubiqve diſſeminavit ſecum; qvod eruditiſimô opere prolixè commonſtravit *Wolffgang. Lazius* lib. 3. & 4. de migrat. gentium. Vid. qvoqve *Adrian. Scrieckius Rodornius* in præfat. ad monita. *Beſold.* in diſcurſ. Philolog. de Nat. populorum. *Cluverius* in German. antiqvâ l. 1. c. 4. ſeqq. *Juſtus Schottelius* in doctiſimô de Lingvâ German. volumine, Orat. 3. pag. 34. aliiq; plures.

§. III. Ex his breviter dictis patet, falſam eſſe eorum ſententiam, qvi lingvæ Teutonicæ natalitia vel ante Confuſionem Babylonicam, vel multò poſt eandem ponere non erubeſcunt. Priorem amplectitur *Becanus*, & ut ſuam multis firmare rationibus laborat: Qvemadmodum de eô teſtatur Cl. *Duretus*, dum in

Thesaurô lingg. pag. 822. ait: *Goropius hoc discursuum suorum ponit fundamentum, qvòd Hebræa lingva à Cimbricâ nata sit, & sua adminicula sumserit.* Per Cimbricam verò lingvam, seu Scythismum intelligit *Becanus* veterem Germanicam, qvam Hebræâ antiqviorem passim in Indoscythicâ ac Hermathenâ crepat. Imò, qvod plus est, sibi aliisqve conatur persvadere, Adamum Germanicè in Paradisô locutum, atqve adeò hanc lingvam fontem fuisse, àqvô omnes aliæ in universum orbem emanârint. Conf. hanc in rem *Casp. Waserus* in Comment. ad *Mithridatem Gesnerianum* pag. 113. Nos, cùm videamus, virum istum, alioqvin ingeniosissimum, plerorumqve judicio doctorum ob miras & Cimmericas conjecturas vapulare, nihil addimus, nisi qvod auguremur, illud sibi fortè dictum putâsse *Goropium*, qvod apud *Platonem* in Sympos. his verbis legimus: *Laudes alicui rei, qvam amas, adscribas, ut potes maximè & elegantissimè, sive rei conveniant, sive non: Imò si falsæ sint, nihil refert.*

§. IV. Qvod verò ad alteram partem attinet eorum, qvi lingvam Teutonicam post famosam demùm γλωττοσύγχυσιν pronatam, & ex Græcâ Latinâqve conflatam esse arbitrantur; mirari satis non possumus, & magnis auctoribus celebrari fabulas. Unde videas Germanica vocabula ab utrâqve (mirâ sanè ac ludicrâ corruptione) ab ipsis etiam Germanis deducta. Ita Wein vel Win/ Mein vel Min/ &c. à vinô vel meô *Johanni Griphiandro* de *Weichbildis* dicitur. Ita alii, Fehde à væ tibi, Eymer à Græcô ἀμφορεὺς, acht (bannum) ἀπὸ τοῦ ἄγειν, sc. in exilium, derivant. Qvin ne ἀλόγως hæc talia asseruisse videantur, Held faciunt descendere ἀπὸ τῆς ἕρας (terrâ.) eò qvod Heroës Dij terrestres salutentur: Eyd ab αἰδὼς; cùm locus perjurorum sit infernus: Schöppen (Scabinos.) à scamnô, qvasi Scamninos, qvi scamnis insident. Usqve adeò puerilibus fabulis & anilibus deliramentis (verba *Kranzij* sunt) omnia scatent, ut nihil in his sibi constet, nihil qvadret. Videntur illi homines parùm discrepare ab ineptiente Italô, qvi *Vincentiam* derivabat à vicis centum, *Tridentum* à tribus dentibus, *Cremonam* à Crumonâ Jani, *Veronam*

ronam qvasi væ Romæ, annot. *Marc. Welserô l.3.* rerum August. Vindelic. pag.48.

§. V. Nos forsan non erraverimus, si persvasum habeamus, ejusmodi Scriptores, dum ad fundum pertingere non possunt, licentiam qvodvis excogitandi sibi sumere, atqve ita semel admissam thesin commentis qvibuscunqve stabilire. Haut secus ac Monachi antiqviores, qvi, origine verâ urbis cujusdam populive desperatâ, ad somnia sua confugerunt, inqve inveniendis iis sibi ipsi placuerunt mirificè, ut testis est *Beatus Rhenanus* l.3. rer.Germ. & *Lehmannus* in Chron.Spirensi l.1. c.4. Et qvis temerè credat, Germanos rerum earum, qvæ jam inde à Gentis primordiô domi nascebantur, non habuisse voces, donec eas ab exteris acceperint, aut si habuerint, deinceps peregrinis mutâsse? Neqve enim novorum tàm avidi fuerunt Majores nostri, qvàm nos sumus in lingvis pariter ac moribus. Id qvod Græcos Romanosq; Historicos legenti dispicere in proclivi est. Rectè igitur ac perfacetè Poëta nescio qvis *Griphiandri* etymon perstrinxit:

Ignorâsse putas Germanum nomina vini?
Ille vocare novit, qvod potuit bibere.

De cæteris originationibus qvid sit habendum, videre licet apud *Olaum Wormium* c.2. de literat. Runicâ. Illustr. *Gustavum Selenum* l.2. c.1. *Hungarum* in Vindicatione Ling. Germ. passim; *Cuspinianum* in *Frid. I. Cluver.* in German. antiq. l.1. cap.3. §. XI. *Dresser.* millen.5. fol.428. *Harsdörf.* in Philol. Germ. pag.327. *Schottel.* p.127.&c.

§. VI. Sed verò nec prætereundum illud silentiô, qvod pars adversa in convenientiâ vocum præsidium sibi qværat. *Andreas Helvigius* in Origg. suis, dictiones Germanicas ob adsonantiam qvandam, aut adsonantiæ Speciem ex Hebræô, Græcô, Latinoqve adstruit petendas. Cui pollicem premit, ut cæteros taceam J. *Lipsius*, qvi inter alia & hæc affert: *Voces multæ in Hebræis, Græcis & Latinis sunt, qvæ consonant vel adsonant lingvæ*

gvæ Teutonicæ: Qvid tum? Non magis hoc argumentum sit à nobis illos, qvam nos ab ipsis sumsisse. At nos cum *Cluveriô* in genere respondemus, qvod eorum minus sit probandum judicium, qvi, ubi aliqvod vocabulum in lingvâ Germanicâ occurrit, qvod vel Latino, vel Græco, vel Hebraico, vel aliàs cujusdam gentis vocabulo par est aut simile, protinus ignari antiqvitatis exclament, nos illud inde mutuatos esse: *Cùm à vocum similitudine ad Originationem non valeat consequentia.* Idem alibi, *innumera*, ait, *vocabula in lingvâ Celticâ* (ita vetus Teutonica dicebatur) *communia reperiuntur cum Græcâ, qvæ tamen Celtas à Græcis accepisse, ut vulgus opinatur, optimis ego validissimisq; argumentis negare possum.* Vid. l. 3. p. 150. & lib. 1. c. 8. confer. etiam *Scrieckius* in Origg. Ling. Germ. & in præfat. ad easdem. *Harsdörf.* in disqvis. VIII. §. 9. p. 162. Stat ergò axioma nostrum: vocabulum illud, qvod duabus pluribusvé lingvis est commune, ejus lingvæ proprium Germanumqve censeri, in qvâ rei significatæ convenientissima reddi potest ratio.

§. VII. Hæc sufficiat dixisse de Terminô à qvo lingvæ Teutonicæ, qvà suam consideratæ Infantiam: Restat, nunc agamus de ejus qvalitate. Procul dubiô autem, qvemadmodum plerumqve initia rerum, disciplinarum etiam ac artium exigua sunt; sic rudis & illa indigestaqve fuit. Testantur id ipsum Scriptores multis sanè seculis ante tempora Carolina, qvousqve sæc ætas extendit. *Diodorus* lib. 5. hist. de Celtis refert, qvòd sint τὸ πρόσωπον καταπληκτικοὶ καὶ ταῖς φωναῖς βαρύηχοι, καὶ παντελῶς τραχύφωνοι, h. e. crudeles aspectu, horribilesqve voce ac exasperatis prorsus verbis. *Polyænus* lib. 8. ἠρίωσε τὴν φωνὴν; (belluinam vocem) & *Tacitus* vocem horridam trucesqve cantûs ipsis assignat lib. de Germ. morib. Et hæc hactenus certa. Qvòd verò *Bodinus* existimat, Saxones voces suas, consonantibus asperimè collisis, sine vocalibus ex intimô pectore & per crebras spirationes protulisse, id eqvid. tàm verum est, qvàm setosa terga, Majoribus nostris à Græcis olim afficta: qvôde *Freherus* in Notis ad *Petrum* de *Andlo* p. 144. ita: Omittere non possum mirabilem

bilem opinionem, qvam de Francis (Germanis) Græci fovebant, illos in spinâ dorsi pilos aprorum instar habere, & τριχοφαχάτους inde dicebant, ut scribit *Cedrenus* fol. 373. Tantum de primâ ætate. seqvitur

TEUTONICÆ LINGVÆ ÆTAS ALTERA.

§. I.

ORdimur hanc cum temporibus *Caroli M.* Imperatoris, qvi, cùm Romanum Imperium transferret ad Germanos, suam & reip. majestatem multò augustiorem fore non ex vanô conjecit, si communem lingvam Teutonicam simul protraheret in lucem. Qvem in finem etiam de conscribendâ Grammaticâ non semel cogitavit; ut ne sic ex vagô inconstantiqve usu, sed per statas regulas addisceretur porrò. Cumqve ab Archiepiscopo Moguntinô *Rabwinô*, *Walfrido* Abbate S. Galli, *Haunone* Episcopô Hildesheimensi & *Hermannô Claudo* comite, orthographiam pariter ac modum tàm componendi, qvàm terminandi voces exactius esset edoctus, manum ipse operi admovit, & patrium sermonem, qvi, interprete *Sigeberto*, Germanicus erat, omni barbarie exuere, regulisqve ac præceptis ad æmulationem Græcorum & Romanorum reddere elegantiorem studuit: Qvod opus tamen arduum gravissimis negotiis bellisqve distentus, ac morte deniqve præventus ipsâ non perfecit. Vid. hâc de re *Eginhardus* in vitâ *Caroli*: *Joh. Trithemius* Abbas Spanheimensis in Polygraph. Catolog. Illustr. virorum pag. 125. *Sigebertus* in Chron. *Aventinus* in Annal. Bojorum p. 220. l. 4. *Martin Crusius* Annal. Svev. part. 2. l. 1. c. 8. qvi & *Ægid. Tschudum* in Rhæt. Alp. ac *Stumpf.* l. 1. Helvet. hist. c. 8. citat. Addantur literæ pu-

blicæ *Eliæ Hutteri* ad Principes Christianos datæ; & *Lehmannus* in Chron. Spirenſ. lib. 2. cap. 45. Cl. *Duretus* ejus fragmenta adhuc extare in Germaniâ aſſerit. Et *Joh. Trithemius* l. c. eadem ſe vidiſſe ſcribit, & præſentes alphabeti characteres inde extraxiſſe, ne interirent penitus. Idem teſtatur de *Otfrido*, Cœnobii Wiſſenburgenſis monacho, qvod ex Carolinô opere Grammaticô, lingvæ Germanicæ inſignem hauſerit notitiam, ac multa volumina juxta tenorem ejus rythmicè compoſuerit, cujus Evangelia, curâ *Flacii Illyrici* ante ſeculum excuſa, hodienũ ſuperant; reliqvis ſcriptis, monachorum vel deſidiâ perditis, vel ignorantiâ laceratis. conf. *Lehman.* l. c. & *Trithemius* p. 127.

§. II. Neqve tamen ſatis habebat laudatiſſimus Imperator, ita lingvam juviſſe ſuam; qvin totis inſimul annisus viribus eſt, ut qvotidiè, qvicqvid poſſet culturæ, ſuper adderet. Hinc Menſibus & Ventis nomina fecit Germanica, qvæ vel nihil, vel parùm differunt à noſtris. Cæteros ejus egregios conatus circa expoliendam vernaculam per chartæ anguſtiam cogimur tacere, qvos vide-ſis apud *Aventinum* maximè ac *Lehmannum*, locis citatis.

Succeſſerunt deinde & alii, qvi in eôdem ſtudiô deſudârunt, qvorum nonnullos adducit *Duretus* pag. 826. cit. tract. Verba ejus ex Gallicô in Latinam transfuſa lingvam ita habent: *Joh. Gracchus Pierius* de hâc lingva (intelligit verò Germanicam) magnoperè laboravit; ſed præreptus morte, opus conſummare ſuum non potuit. Sic & *Otfridus Wiſſen* compoſuit tractatum, qvem Grammaticam Teutonicæ lingvæ prænotavit. Hunc ſubſeqvitur *Ladislaus Suntheimus*, qvi eam deſcripſit lingvam, qvæ per Germaniam tùm ſuperiorem uſitata erat. Sunt & alii plures Germani, qvorum mentionem faciunt *Geſnerus* & *Simblerus* in Bibliothecis ſuis hiſtorialibus &c.

§. III. Formam verò, ad qvam tunc horum beneficiô aſpiravit lingva, cognoſcere eſt cùm ex juramentô *Caroli*

Regi

Regi Germaniæ *Ludovico* præstitô, cujus meminit *Nithardus* nepos Caroli M. in historiâ suâ à *Pythœô* editâ lib. 3. Anno 842; tùm verò ex monumentis aliis superstitibus. Omnium vice unam hîc ponemus Orationem Dominicam Francorum veterum, qvam totidem literis ac verbis consignavit *Lehmannus* in Chron. l. c. **Vatter unseer thu pist in Himile/ wihi Namun dinan/qvehmerihe din / werde Wille din so in Himile so sa in Erdu. Froath unseer emetzhie tib uns hiutu / oblaz uns sculdi unseero / so wir oblazen uns sculdiken / enti ni un sih firletti in Khorunka. Vzz erlosi un sih fona Vbile.** conf. & *Joh. Isac. Pontanus* in Origin. *Franc.* c. 24. ubi aliis qvidem verbis, eâdem tamen ruditate Oratio dominica exprimitur. Hæc prisca illa species est, hæc lingvæ Teutonicæ pueritia.

TEUTONICÆ LINGVÆ ÆTAS MEDIA.

§. I.

QVò diligentius curatur surculus, hoc magis attollitur in altum & accrementa sui capit. Qvantò solicitius excolitur lingva, tantò venustiorem faciem ostentat. Comptior primâ ætate erat secunda; ast utramqve elegantiæ gradibus Juventus antecellit. Depromemus nonnulla in hujus rei gratiam ex recessu Imperii sub *Rudolphô* I. Ann. 1287. (cæperat enim hæc ætas Sec. XIII.) qvæ in Chronicô *Lehmannus* veteri stylô ita exponit lib. 5. cap. 8. **Wir Rudolph von Gottes Gnaden / Römischer Künic und ein Mehrer des Riches haben mit Gunst und och mit Rate**

Der erbaren Herren / des Cardinals / des Legaten und der Fürsten / beeder Geistlicher und Weltlicher diese Sazungen des Landfriedes gesezet ze Würzeburc ꝛc. Qvin & eò deventum, ut, qvemadmodum olim Romani solâ Latinitate utebantur, nihil Græcæ aliusvé admiscentes lingvæ; Ita virtute suâ indignum judicarent Nostri, vernaculam exterorum verborum pigmentô (qvod hodiè proh pudor! freqvens est) in literis præsertim publicis decolorare.

s. II. Cæterùm ex Scriptorum relatione liqvet, *RUDOLPHUM* Imperatorem maximè omnium id operam dedisse, hanc ut proveheret lingvam. Testantur de eô fide dignissimi Viri *Hutterus* l. c. & *Matthias Webnerus* in præfat. ad Observationes Camerales, qvod Anno 1273. in ornamentum lingvæ Teutonicæ comitia Norimbergæ celebrârit, publicoq; sanxerit edicto, ut instrumenta omnia Germanicè conscriberentur: Proculdubiô subodoratus, esse hoc vinculum, qvô pectora Germana unirentur, & mediũ certissimum, vi cujus ex tot Principibus potentissimis unum corpus inexsuperabile constitueretur. *Goldastus* recitat edictum illud Tom. I. Constitut. Imper. pag. 371. cujus verba sunt: *Omnia mandata, edicta, privilegia, pacta dotalia in Theutonicâ lingvâ, & non ut anteà, in Latinâ concipiantur.* Confer. etiam *Lehmannus* l. antè citat. & *Dresser.* part. 3. pag. 379. Hanc Constitutionem Rudolphi *Maximilianus Primus* (ut refert *Webnerus* l. d.) in Comitiis *Coloniæ* Anno 1512. confirmavit. Nec parum ad authoritatem reipublicæ interest, ut sanctè habeatur & usurpetur lingva vernacula; Id qvod rigidissimè observant Turcarum Monarchæ, qvi majestatem Imperii sui etiam in eo ostentant, ut non aliâ lingvâ, qvàm suâ vel Legatos exterorum Principum audiant, vel iis respondeant. Et certè infra majestatem Imperii Romano-

Ger-

Germanici videtur esse, se ad qvodcunqve abjectum idioma demittere, atqve in eodem alios tacitè supra sese venerari. Vid. *Clapmarius* de arcan. rerumpp. l. 3. cap. 22. Restat adhuc

TEUTONICÆ LINGVÆ FLORENS ET VIRILE ROBUR.

§. I.

TEmporum longinqvitas sicut plerisqve rebus caducis, ita nec lingvis minùs eam mutationem inducit, ut longiùs qvasi à seipsis abeant, sibiqve admodùm dissimiles reddantur. Apud Romanos verba primi fœderis, vix ante annos qvinqvaginta cum Carthaginensibus facti ignorabantur; & Carmina, qvæ in sacris ex veteri formulâ canebantur, à paucissimis intellecta sunt. Simile de Græcanicâ *Plato* in Cratylo tradit, qvod tanta ipsi vocabulorum accederit varietas, ut si lingva suô tempore usurpata cum antiqvâ comparetur, antiqva tota videatur barbara esse. Jam si Teutonicum sermonem nostrum ad veterem æstimemus, proh! qvantum mutatus ab illo est? Ut vel imperito rerum diversissimum lingvæ genus ac novum planè videri possit. Hic enim primùm agrestis erat sonus sine arte, sine decore, sine certitudine regulari: Ast per multifarias vicissitudines, annuente Cœlo, Dædalisqve cooperantibus nonnullis in immensum crevit & ita exornatus est, ut nullius ferè rei & additamenti egeat.

§. II. Inprimis autem hæc ætas cœpit cum B. *Luthero*, qvi summâ diligentiâ, qvicqvid fecis supererat adhuc, removit, & in locum ejus amabilitatem, emphasin, vehementiam ac virilitatem reduxit. Non immeritò dixeris de

Luthero, qvod olim de Homero *Qvintilianus* pronunciavit lib. 10. cap. 1. *eum omnibus eloqventiæ partibus ortum dedisse & exordium*. Hunc Mergalandrum Nob. *Harsdörferus* disqvis. X. §. 5. alterum vocat Ciceronem & eloqventiæ Germanicæ Parentem, cujus studiis vernacula nostra cœperit ex tenebris enitescere. Digna sunt hûc referri, qvæ *Sleidanus* lib. 17. de eodem annotat: *Ipse (Lutherus) lingvam*, ait, *Germanicam & exornavit plurimùm & locupletavit, & primam in eâ laudem obtinet, & eavertit è Latino sermone, qvæ verti non posse putabantur, & significantissimis utitur verbis, maximèq; propriis, & unicâ voce rem nonnunqvam ob oculos ponit.* Hæc ille. Maluimus autem secundum Celeberr. *Bœcleri* judicium, Authoris potiùs, qvàm nostris verbis hîc uti; cùm in tàm illustri elogio nihil oporteat detrunçari. Neqve tamen ita laudatum imus Lutherum, ut cæteros suâ gloriâ defraudemus. Jecisse eum fundamentum agnoscimus: ast plures posthinc opus ursisse, nec illud inficiamur. Magnum est, qvod vobis debet GermanaSvada, viri Cœlô dati, *Carpophori*; Sednec famæ minus Vestris persolvet manibus posteritas, dum scriptis Cedro dignis, dulcissimis fructibus, fruetur.

§. III. Qvid verò de aureâ hac ætate nunc memoremus, aut qvibus verbis Teutonicæ lingvæ assequemur indolem? siqvidem ejus tanta est majestas, tanta gravitas, tanta amplitudo, tantus lepor, gratia & proprietas in significando, ut animus jure subeat mirari, qvi in unâ re tot absolutissimæ perfectiones concurrerint. Videtur illa con-

ve-

venientisſimè comparari poſſe cum arbore, qvæ fibrarum ope optimum terræ ſuccum attrahit, qvô, ſolidatis radicibus, firmaisſimè in Naturâ perſiſtit. Etenim voces lingvæ noſtræ radicales nucleum qvaſi & medullam ex humanâ ratione ſuxerunt, qvarum beneficiô non ſtramineis fulcris, ſed ipſis Naturæ fundamentis innititur. Inſuper & in altum ſuum tollit cacumen, ramosqve innumeros mirâ jucunditate & jucundâ varietate diffundit. Qvos verò fructus tulerit feratqve qvotidiè, notius Orbi erudito eſt, qvàm ut debeat exponi. Sed pagellarum habenda ratio: Plura ad laudes ejus non addimus.

§. IV. Atverò nil tàm certum, qvod non à mortalibus ad mentiendum & fingendum ingenioſis in controverſiam vocetur. Qvare & inter Muſas reperiuntur, qvi lingvam Teutonicam, præterqvàm qvod aliis poſtponant, & ſummo habent ludibrio: Qvos tamen perqvàm refutârunt falsè *Lipſius* Epiſt. 44. cap. 3. *Freherus* in Not. ad fœdus *Ludovici* Germaniæ *Caroliqve* Galliæ, Regum: & *Lanſius* in orat. contra *Galliam*. Nos actum non agemus. Unicum ex *Lanſio* hûc transſcripſiſſe non de nihilô videbitur Scilicet cùm *Joh. Langus* à *Ferdinando I.* Imper. Legatus mitteretur in Poloniam, offendebat ibi Conſiliarium Regium, *Petrum Royzium Mauræum Hiſpanum*, qvem ob eruditionem & amabat plurimùm, & qvotidianô convictu dignabatur. Accidit autem ut *Royzius* aliqvando inſulsô ex ignorantiâ riſu Germanicam lingvam inceſſeret, & famulos *Langi* menſæ adſtantes, atqve durâ pronunciatione & accentu voces Germanicas exaſperantes iſtô ſcommate jocové illuderet: *Germani*, inqviens, *non loqvuntur, ſed fulminant: Et credo Ego, mi Lange, Deum ex indignatione hôc ſermonis fulmine uſum, cùm primos Parentes extruderet Paradi-*

ſo.

ſo. Cui Langus; *ego verò*, ajebat, *cenſeo, ſerpentem ſvavi & blandô vocis Hiſpanicæ fucô uſum, cùm impoſuit Evæ.* Sed amemus nos victricem noſtram lingvam, *addit porrò Lanſius*, & alii delicatulis, qvi hoc unum agunt, ut exiſtimentur à majoribus deſciviſſe, Hiſpanicam, Italicam atque Gallicam illegitimas Latinæ filias relinqvamus. Ut Germani Viri ſunt, ita illorum lingva & facundia virilis, qvæ nemini, niſi qvi virilem animum non gerit, ingrata eſſe poteſt. Inſulta ejusmodi alia adjicere poſſemus; ſed cùm portum videamus, contrahimus vela & Numini immortali immortales gratias nuncupamus.

Tantum eſt.

Alt. 532,4

EXERCITATIO PHILOLOGICA

De

LINGVÆ TEU-TONICÆ ÆTATIBUS,

II d 318

XA 26020

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

Quam

DIVINIS AUSPICIIS,

In Almâ Leucoreâ,

Ad diem 28. Decembr. A.O.R. M.DC.LXVII,

In Auditorio minori, horis antemerid.

Publico Eruditorum examini ſubmittunt

PRÆSES

M. THEODORUS KIRCH-MAJER,

Uffenhemenſis,

&

RESPONDENS

JOHANNES MICHAEL Hornung/

Gunzenhuſanus,

FRANCI.

WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-496-p0017-1